



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum  
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut  
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &  
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis  
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

De patrinis in Baptismo adhibendis. 11

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

h. 46. At verius cenſeo peccatum graue eſſe, quia eſt contra ritum, quem communiter Eccleſia ſeruat in baptiſmi adminiſtratione. Sic Aegid. de Coninch. q. 67. art. 6. dub. 2. Valq. alijs reſol. diſp. 148. c. 7. n. 50.

18. Tertio inquire, qualiter abluſionem cum prolotione forae coniungere debeas, vt ritè baptiſmum miniſtres? Reſpondeo ſic debere coniungere, vt forma prolotione abluſionem ſignificet. Significare autem eam potes ſive ante, ſive poſt formam prolotionem, abluſionem facias, ſi vna alteri immediate ſuccedat. Vt pluribus exemplis declarat Sotus in 4. diſt. 3. q. vnica art. 8. & ex illo. Valq. diſp. 148. cap. 7. Henric. lib. 1. cap. 9. num. 10. Paul. Laymann. lib. 5. ſum. tract. 2. cap. 7. q. 3.

PUNCTVM X.

De effectibus Baptiſmi.

1. Triplex eſt effectus Baptiſmi.
2. Baptiſmus ex ſe conferit gratiam peccati originalis, & actualium remiſſionem.
3. Eſt equalis hac gratia in paruulis, in adultis abundantior, ſi abundantiori diſpoſitione ſe preparet.
4. Remittit baptiſmus poenam omnem pro peccatis debitam.
5. Non tollit poenalitatem.
6. Imprimi characterem.
7. Suſcipienti baptiſmum ſolent ſpeciales gratia concedi.

1. Tres ſunt præcipue effectus Baptiſmi. Primus eſt gratia habitualis remiſſio peccati originalis, & actualis, ſi forte ante ipſum baptiſmum commiſſum ſit. Secundus eſt remiſſio totius poenæ tam æternæ, quàm temporalis debitæ pro peccato. Tertius eſt character indelebilis, quo baptizatus incapax redditur denud baptiſmum ſuſcipiendi.

2. Circa primum effectum fide certum eſt baptiſmum non ponenti obicem conferre gratiam peccati originalis, & quorumlibet actualium remiſſionem. Nam eſto olim non fuerit hæc veritas declarata, ſed in vtramque partem agitabatur quaſtio, vt conſtat ex Innocent. 3. in cap. maiores. §. 1. in fine de baptiſmo, & ex Clement. 5. in concil. Vienn. Clement. vnica de ſumma Trinit. & ſide Cathol. §. ad hoc baptiſma. At poſt Concilium Florent. & maxime Trident. iam non dubitare licet. Nam Eugen. 4. in concil. Florent. decreto de Armenis. generaliter definit ſacramenta nouæ legis gratiam cauſare ex opere operato. Trident. verò idem definit. ſeſſ. 7. de ſacr. in genere. can. 6. & ſeſſ. 6. can. 7. loquens de iuſtificatione quæ fit per baptiſmum, & poenitentia ſacramentum, inquit: In ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul inſula accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inferitur, fides, ſpem, & charitatem, &c. At gratia, & charitas eſſe non poteſt cum peccatis. Ergo in baptiſmo inſunditur gratia omnium peccatorum remiſſio. Sed ſpecialiter id ipſum declarauit Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato origin. §. 5. dicens. Si quis per Ieſum Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmo conferitur reatur peccati originalis remitti negat, anathema ſit. Et ſtatim ſubiungit Concil. In renatis nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſeſſi ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem. Eſt ergo illa gratia, quæ per baptiſmum conferitur non ſolum remiſſio originalis peccati, ſed cuiuſlibet actualis, ſi forte exiſtat. Aliaſ aliquid eſſet in renatis damnationis, quod Deus odio haberet. Adde per baptiſmum inſundi gratiam non ſolum peccati originalis, & actualis mortalis remiſſionem, ſed etiam cuiuſlibet venialis, cuius baptizatus complacentiam non habet. Sicuti ex eod. loco concilij colligitur, quatenus aſſerit baptizatos veterem hominem exire, & inducere nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt, efficique innocentes, immaculatos, puros, innoxios, ac Deo dilectos, hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, ita vt nihil priuſ eos ab ingreſſu cæli remoretur. Si autem gratia, quæ per baptiſmum inſunditur peccata venialia baptizatorum non remitteret, non ita puri, innoxij, & immaculati redderentur, quin ab ingreſſu Eccleſiæ retardarentur. Deinde ſeſſ. 14. cap. 1. inquit concilium. Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, vt iuſtitiam in baptiſmo ipſius beneficio, & gratia ſuſcepam conſtanter uerentur, non fuiſſet opus aliud ab ipſo baptiſmo ſacramentum ad remiſſionem peccatorum eſſe inſtitutum. Supponit ergo concilium peccata etiam venialia per baptiſmi gratiam remitti, aliàs opus eſſet ſacramento alio ad illorum remiſſionem. Notanter dixi inſundi gratiam in baptiſmo peccatorum quorumlibet remiſſionem, non remittentem actu, quia contingere poteſt adultum ſuſcipientem baptiſma eſſe ita diſpoſitum contritione, ſeu dilectione Dei ſuper omnia, vt ei ſint peccata remiſſa. Quo caſu gratia per baptiſmum inſula non remittit peccata, quia ea remiſſa inuenit, eſt tamen de ſe omnium peccatorum remiſſio.

3. Hæc gratia, quæ per baptiſmum paruulis, ſeu rationis

vtu carentibus inſunditur, æqualis omnibus eſt, quia tam ex parte ſacramenti, quàm ex parte ſuſcipientium nulla eſt diuerſitas, in adultis verò pro digniori diſpoſitione, quæ ſe ad ſuſcipiendum baptiſmum præparant, abundantior gratia conferitur, vt latius dixi tract. præced. pun. 8. n. 3.

4. Secundus effectus baptiſmi eſt remiſſio totius poenæ æternæ, & temporalis debitæ pro peccatis, colligitur manifeſtè ex illo loco Trident. ſeſſ. 5. §. 5. de peccato origin. Siquidem inquit Concilium, baptizatos ita hæredes Dei, & cohæredes Chriſti per baptiſmum effici, vt nihil priuſ eos ab ingreſſu cæli remoretur. At ſi baptiſmus omnem poenam debitam pro peccatis non remitteret, aliquid eſſet quod baptizatum ab ingreſſu Eccleſiæ remoretur, Exprefſius docuit ſeſſ. 6. cap. 14. dicens: in iuſtificatione, quàm lapſi poſt baptiſmum obtinent ſæpè remanere obligationem ſoluendi aliquam poenam pro peccatis debitam, quia vt ſacræ literæ docent, non rota ſemper, vt in baptiſmo ſit, dimittitur. Et Concil. Florent. diſto decreto de Armenis inquit: Huius ſacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque poenæ, quæ pro ipſa culpa debetur, propterea baptizatis, nulla pro peccatis præteritis iniungenda eſt ſatiſfactio. Ratio ſumitur ex Chriſti inſtitutione, congruentia ex ſimilitudine, quàm habet baptiſmus cum Chriſti morte, iuxta illud ad Roman. 6. n. 4. Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſeſſi enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ſed Chriſtus Dominus ſua morte perfectè vicit peccatum. Ergo baptiſmus, qui morti Chriſti aſſimilatur, peccatum baptizati poenæ vincit. Ergo non ſolum ſecundum culpam, ſed etiam ſecundum poenam illud delet. Et ita tradit D. Tho. ab omnibus receptus. q. 68. art. 5. & q. 69. art. 2.

5. Poenalitatem autem, quæ ex peccato originali conſequuntur, qualis eſt infirmitas, mors, concupiſcentia ſeu rebellio carnis contra Spiritum, baptiſmo in hac vita teſte experientia non tolluntur, quia nec ſunt peccata, neque poenæ propriæ peccatorum, ſiquidem in ſtatu puræ naturæ contingunt. Et inſuper ad patientiæ exercitacionem, & virtutum augmentum non leuiter conducunt. Vide D. Thom. q. 69. art. 3.

6. Tertius effectus baptiſmi eſt character, quo baptizatus redditur incapax denud baptiſmum ſuſcipiendi, ſicuti docuit Concil. Florent. decreto de Armenis, & Trident. ſeſſ. 7. de baptiſmo ideòque in Symbolo Nicæno, fatemur vnum baptiſmum in remiſſionem peccatorum. Congruentia huius inſtitutionis deſamitur ex eo quod baptiſmus ſit quædam ſpirituales regeneratio, cum autem nemo vix naſci poſſit, decuit nec bis poſſe renacſci. Cum autem ſæpè contingat ſuſcepto baptiſmo baptizatum Chriſto non renacſci, eo quod indebitè baptiſmum ſuſceperit. Non obinde baptiſmus iterandus eſt, quia valor baptiſmi, & character, inſuſo non pendet ex praua ſuſcipientis diſpoſitione ad gratiam, & characterem per baptiſmum obtinendam. Sublata autem hac praua diſpoſitione ex vi baptiſmi priuſ ſuſcepti baptizatus renacſcit. Sed qualiter hæc omnia contingant explicui tract. præced. pun. 9. 10. & 11.

7. Præterea ſuſcipientibus baptiſmum ſolent aliquando concedi ſpeciales gratiæ, & beneficia, vt miraculoſa ſanitas, ſicuti Conſtantino Imperatori conceſſa fuit. At hi non ſunt effectus annexi ex diuina promiſſione baptiſmo: aliàs omnibus ritè baptiſmum ſuſcipientibus concederentur. Sed ſunt effectus ex diuina liberalitate obſingularitatem aliquem finem à diuina prouidentia præordinatum.

PUNCTVM XI.

De Patriniſ in Baptiſmo adhibendis.

§. I.

Quod ſit patrini munus, & obligatio, & qui in patrinos deſignari poſſint.

1. Eſt obligatio ſub graui culpa in baptiſmo ſolemni adhibendi patrinum.
2. Obligatus eſt patrinitas baptizatum inſtruere fide, & bonis moribus, ſi indigeat.
3. Quilibet baptizatus rationis compos patrinitas eſſe poteſt.
4. Excipiuntur monachi, & qui ſub monachi nomine comprehenduntur.
5. Monachus validè patrinitas eſſe poteſt.
6. Excipiuntur poenitentes publici.
7. Tertio excipiuntur hæretici.
8. An poſſit hæreticum in patrinitas admittere, cum Catholico in comede reperire nequit? Aſſeruit Layman.
9. Qualiter ſupradicta ſententia approbanda ſit.
10. An poſſit eſſe patrinitas baptiſmi ritu hæretico collati, tametsi ſub forma, & materia ab Eccleſia præſcriptis.

1. Obligationem eſſe in baptiſmo ſolemni adhibendam aliquam perſonam præter baptizantem, qui baptizaturum

tum leuet de sacro fonte, & illum sub sui tutelam, & fidem suscipiat doctrina, & bonis moribus instruendum, antiquissima Ecclesie consuetudine stabilita est, ut constat ex Tertulliano *lib. de baptismo cap. 3. & 18.* & ex Dionysio *cap. 1. de Ecclesiast. Hierarchia,* & ex August. *epist. 21. & lib. 1. de peccator. meritis. c. 34. & serm. 163. de tēpore. & serm. 215. & alibi sapē,* & supponitur. *c. vos autem. cap. non plures. cap. in catechismo, de consecrat. dist. 4. & toto tit. de cognat. Spirit. & cap. quamvis eodem tit. in. 6. & à Trident. sess. 24. cap. 2. de reformat.* Qua obligatione præcipue astringitur parochus baptizans, ipse enim (ut inquit Trident.) inquirere diligenter debet, qui sit à parentibus, seu tutoribus baptizandi designatus, ut baptizatum leuet de sacro fonte, neque ad baptismum procedere debet, quousque hic designatus sit. Ratio huius institutionis optime tradidit D. Thom. *q. 67. art. 7. ex similitudine,* quam habet baptismus cum carnali generatione: nam sicut paruulus nuper natus indiget nutrice, & pedagogo, sic spiritualiter natus per baptismum indiget aliquo, qui fungatur vice nutricis, & pedagogi informando, & instruendo cum quasi nouitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Christianam. Non enim qui paruulo baptismi ministrat, & spiritualiter gignit, potest semper hoc munus per seipsum obire eaque de causa deuit alium designari, qui simul hanc obligationem susciperet. Ad declarandam ergo hanc obligationem variis nominibus Patres, & doctores hoc munus obeuntem appellarunt. Nam D. Thom. quem reliqui scholastici sequuntur, pedagogum nominavit, quia puerum instituere debet in fide, cuiusque vestigia dirigere. Neque ab hac appellatione longè fuit August. *epist. 23. ad Bonifacium.* appellans cum fidei doctorem, quia docere debet baptizatum fidem, quam in baptismo professus est. Alij Patres cum ipso Augustino vocant supradictum susceptorum, quia de manu baptizantis baptismum suscipit erudendum. Sic August. *relatus in cap. vos ante omnia de consecrat. dist. 4. & specialiter Cōcilium Colonie.* sub Paulo. *3. p. 7. cap. 4. & Concilium Augustinianum. c. 16. & alibi.* Alij vt Dionys. *Arcopag. lib. 2. de Ecclesiast. Hierarch. & August. serm. 106. 163. & 215.* fideiuflorem appellarunt. Tertullian. *lib. de baptismo cap. 18.* sponsorem, quia leuando baptismum de sacro fonte tacite fidei iubet, & respondere illius curam habiturum. Denique appellatur communiter Comparer, seu patrinus, vt fecit Hyginus Pontifex *relatus in c. in catechismo de consecrat. dist. 4. & August. serm. 106.* quia simul cum baptizante spiritualis pater est baptizati, illumque in fide gignit.

2. Ex supradictis manifestè constat susceptorum, fideiuflorem, sponsorem, seu patrinum absolute obligationem esse sub graui culpa baptismum in fide, & doctrina Christiana instruere, alias muneri, quod suscipit, non satisfaciet, colligiturque ex *cap. vos ante omnia de consecrat. dist. 4. cap. ita diligere. 30. q. 1. & expressè ex Leone. 3. in Concil. Moguntiacō cap. 47. ibi. Deinde præcipimus, ut vnusquisque comparer, vel proximi spirituales Filios suos Catholicos instruant,* tradicque D. Thom. receptus ab omnibus. *q. 67. art. 8.* Huic tamen obligationi plenè satisfacies, si baptizatum semel in fide, & doctrina Christiana instituas, tamen postea comperias oblitum esse, quia non est credendum hanc obligationem toto vitæ decursu durare, sed tempore quo baptizatus rudis existit, & quasi paruulus pedagogo indiget. Sic *Ægid. de Coninch. q. 67. art. 8. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. vlt. n. 1.* Verum ab hac obligatione docendi puerum excularis, si probabiliter credis illum à suis parentibus, magistris, vel dominis diligenter esse erudendum, quia hoc præceptum veritate affirmatiuum solum te astringere potest, dum baptizatus tua cura, & instructione indiget. Quocirca raro hac obligatione tenentur patrinus in regionibus fidelium, quia vis præsumere possunt baptismum non esse à parentibus, seu tutoribus, vel magistris sufficienter instruendum. Secus vero est in regionibus infidelium, vel hæreticorum, & maxime si parentes illius infideles, seu hæretici existant. Sic D. Thom. *q. 67. art. 8. Suar & Ægid. de Coninch. ibi & Laymann. supra Valent. 4. dist. 4. q. 2. p. 3. Eman Saa edit. Romana; verbo baptisimus. n. 15.*

3. Quilibet baptizatus rationis compos, siue vit, siue femina sit patrinus, seu susceptor esse potest. Primò debet esse baptizatus, quia aliàs ineptus censetur ad instruendum in fide qui fidem in baptismo non suscipit, sicuti habetur in Concil. Moguntien. *capit. 47. relato in cap. in baptismo de consecrat. dist. 4.* Secundo debet esse rationis compos, aliàs fide iubere, neque spondere pro baptizato poterit, neque munus instructoris suscipere, & illius obligationi satisfacere, eaque de causa in Concil. Parisien. *lib. 1. cap. 54.* dicitur huiusmodi patronos debere & vim tanti Sacramenti, & quid pro alijs sponderint intelligere. Nullibi tamen habetur certam ætatem requisitam esse: sic ex communi sententia tradit Nauarr. *lib. 4. cons. 1. art. 2. de cognat. spiritali & cons. 5. alijs. 4. eodem titulo.* Henric. *in sum. lib. 12. c. 1. n. 2. Sanch. lib. 7. de matr. dist. 61. num. 3. & 4. Basil. Ponce, lib. 7. de matr. sup. 37. num. 5. in fine.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap.*

*9. num. 2. Dixi siue vir, siue femina,* quia esto dedecet præcipue in baptismo adutorum viri baptizati feminum susceptorum esse; Nam tamen id est specialiter prohibitum, ut satis colligitur ex *cap. vos ante. cap. non plures de consecrat. dist. 4. & cap. quod autem. 30. q. 4. & cap. quamuis de cognat. spirit. in 6. & ex Trident. sess. 24. cap. 2. de reformat. & tradit Suar. q. 67. art. 7. circa finem. Basil. Ponce, lib. 7. de matr. cap. 37. n. 3.*

4. Ab hac generali regula excipiuntur monachi, quibus munus susceptoris interdictum est, eo quod non deceat eos cum parentibus baptizati cognationem spirituales contrahere, & familiaritatem habere. *cap. non licet. el. 1. cap. monachi de consecrat. dist. 4. cap. peruenit. el. 1. 18. q. 2.* Quod si obicitas monachos baptizare, & cognationem spirituales ex collato baptismum contrahere. *cap. doctos, 16. q. 1. & cap. omnes. 30. q. 1. & tradit Gloss. dicto. cap. non licet, & cap. peruenit & ibi Turrecem.* Respondeo hanc cognationem esse baptismum collato permitti: tum quia baptismi ministratio magis est necessaria, tum quia minor est familiaritas, que ex collatione baptismi, quam quæ ex susceptione baptismi nascitur. Sed non caret difficultate, an sub uo mine monachi omnes religiosi tam mendicantes, quam canonici regulares veniant, ita vt à supradicto munere sint exclusi? Affirmat Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 9. num. 3.* eo quod si dedecet religiosos claustra habitantes familiaritatem habere præcipue cum feminis, ac dedecet monachos, que fuit ratio, ob quam munus susceptoris monachis interdictum. Contrarium vobis existimo cum *Ægid. de Coninch. 3. p. q. 67. art. 7. n. 56.* Quia esto eadem ratio prohibitionis procedat in religiosis mendicantibus, & canonicis regulibus, ac in monachis, inde solum inferitur posse prohibitionem ad omnes extendi, non tamen de facto extensam esse. Non enim sub nomine Monachorum veniunt mendicantes, & canonici regulares in decreto prohibitionis, odio, & correctorio. Neque item eadem ratio adæquate in mendicantibus, canonicis regulibus, ac in monachis procedit: nam monachis magis indecens est familiaritatem habere cum parentibus baptizati, eo quod sibi soli videntur à secularium conuersatione, & communicatione separati. At mendicantes, canonicique regulares passim cum secularibus communicant; ob quam causam monachi facti Episcopi, tamen non desinant esse religiosi, à munere susceptoris non excluduntur, quia in eo statu constituti, non sibi tantum viuunt, sed aliis, ideoque non dedecet compaternitatem tum baptizando, tum leuando contrahere, vt docent Glossa *cap. statutum verbo absoluit. 18. quæst. 1. Cardinal. Turrecem. Gregor. Lopez, & alij, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. de matr. dist. 60. num. 21. & lib. 6. moral. cap. 6. num. 24. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 9. num. 3. vers. sed contrarium, in fine.*

5. Si vero contingat monachum, vel ex ignorantia, vel malitia susceptorum in baptismum constitui, validè hoc munus susceptoris suscipit, veramque cognationem spirituales contrahit. Nam esto in supradicto *cap. non licet. cap. peruenit, & alij relatis* seuerè monachis dictum munus susceptoris interdicatur; nullum est tamen verbum, quo factum irritetur, sicuti docent pluribus relatis Sanch. *lib. 7. de matr. dist. 60. n. 21. Posseni. de officio Curati. cap. 6. n. 27. vers. secundo, Barbosa 2. p. de potest. epist. alleg. 30. num. 36.* tamen contrarium censet Basil. Ponce *lib. 7. de matr. cap. 37. num. 15.*

6. Secundo excipiuntur penitentes publici, & moribus infames, donec peracta penitentia reconcilientur ex concil. Parient. *1. lib. 1. c. 54.* quia non censentur ab Ecclesia idonei ad munus susceptoris exequendum; si tamen de facto defingentur, munus susceptoris validè suscipiunt, & cognationem contrahunt, quia in dicto concilio non irritatur factum, esto prohibeatur. Sic Barbosa. Paul. Laymann, aduersus Basil. Ponce *supra.*

7. Tertio excipiuntur à munere susceptoris hæretici & merito, quia illis vitæ à veritate deuantibus fidere Ecclesia non potest ritè baptismum fore instructuros. Sic Suar. *q. 67. art. 7. in comment. Ægid. de Coninch. ibi. Barbosa. alleg. 30. num. 37. & alij communiter.* Si tamen de facto defingentur, valida est designatio, vt ex omnium sententia tradit Sanch. *lib. 7. de matr. dist. 60. n. 2.*

8. Dubium tamen est, an possit hæreticum in patrinum admittere, quando Catholicus commodè reperiri non potest, vt contingit in regionibus heresi infectis, in quibus ob hæreticorum multitudinem vix inuenies patrinum Catholicum, qui baptismum leuet de sacro fonte. Ergo eo casu hæreticum vocare potes, ne baptismum solemnè ea cætemonia grauitè ab Ecclesia præscripta deficiat. Et vrgetur casus, si in aliqua parochia expulso Ministro hæretico Sacerdos Catholicus præficiatur, cum parentes hæretici filium baptizandum offerunt, designato patrinum hæretico, dictus Sacerdos admittere patrinum hæreticum poterit, ne parentes offendantur, neue filium Ministro hæretico baptizandum deserant omnino Sacerdote Catholico. Neque obstat hæreticum patrinum ineptum esse ad instruendum baptismum in fide Catholica, ac proinde ad sponsonem huius institutionis faciendam

faciendam : quam ipso facto patrinus præstat, cum baptizatum leuat de sacro fonte. Nam esto regulariter ineptus sit, non tamen est simpliciter incapax. Tum quia potest ad fidem conuerti, cum opus fuerit baptizatum instruere. Tum quia esto in hæresi perleueret, si dem Catholicam docere poterit, si cui potest peccator persuadere virtutem, et si a virtute ipse alienus sit. Ergo potest patrinus hæreticus leuando baptizatum de sacro fonte legitimam instructionem promittere. Quod maxime verum habet, si Sacerdos (vt debet) moneat parentes, & patrinum de obligatione instruendi baptizatum in fide Catholica per baptismum suscepra: sic praxi esse receptum a viris piis, & doctis in Germania testatur Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 9. quæst. 3. in fine.

9. Ego verò supradictam proximi approbarem, si Sacerdos timeret probabiliter parentes baptizati grauius esse offendendos ob patrinum hæreticum repulsum, vel timeret delaturos esse filium Ministro hæretico baptizandum. Quia eo casu Sacerdos minus malum permittit, vt grauiora cuitur. Verum si absque graui offensione parentum potest Sacerdos Catholicus baptismum expulso patrinum hæretico ministrare, nullo tamen adhibito patrinum, quia Catholicum adhibere non potest, crederem potius debere ministrare baptismum absque patrinum quam patrinum hæreticum admittere. Quia præceptum Ecclesiæ de patrinum adhibendo procedit, si patrinus apertus, & idoneus reperiri potest, qualis non est hæreticus, cum sit ab Ecclesiâ exclusus non tam iure scripto, & à se introducto, quam iure naturali, & diuino, supposita institutione sacre huius ceremoniæ, quæ ad rectam instructionem baptizati ordinatur. Ergo eo casu, quo nullus alius patrinus præter hæreticum reperiri possit, cessat præceptum Ecclesiæ de patrinum adhibendo. Ex alia parte vtget præceptum naturale, & Ecclesiasticum vitandi familiaritatem cum hæreticis, cum commodè potes. Ergo stante necessitate sciendi baptismum, nullo patrinum adhibito, vel adhibito hæretico, potius eligere debes ministrare absque patrinum, quam patrinum hæreticum adhibere: colligitur ex Nauarr. lib. 2. consil. tit. de Constit. union. conf. 1. n. 67. Azor. tract. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 11. quæst. 9.

10. E contra dubitabis, an possit esse patrinus baptismi à ministro hæretico secundum ritum hæreticorum ministrari? Ratio dubitandi est, quia videris ministratorum hæreticis assentire, & sponsonem facere de instructione in fide faciendam iuxta voluntatem, & intentionem ministri hæretici baptizantis. Non igitur tibi licet eo casu patrinum esse. Et ita docet Nauarr. in Azor locis allegatis, & sic absolute tenendum est. Verum aliquando id licite præstare poteris, videlicet si graue tibi, vel tuæ familiæ damnum imminet eo munere non suscepto. Et insuper declares te eo facto nolle ministracionem hæreticalem approbare, neque iuxta illius ritum sponsonem facere, sed iuxta Ecclesiæ Romanæ morem, solumque ob eius præceptum de patrinum adhibendo seruandum te patrinum munus suscipere. Hac igitur protestatione facta censeri non potes ministracionem hæreticalem approbare, neque sponsonem facere de instructione fidei faciendam iuxta hæreticum ritum. Deinde stante periculo grauis nocuenti exularis à cooperatione hæreticis ministracionis, & solum illius permittor existis, præcipue cum occasio sis susceptoris officium assumens, ne hæreticus assumatur. Sic sustinet Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 9. q. 2. n. 6.

§. II.

Quot patrinum designandi sunt, & qualiter se gerere debent.

1. Vnus, vel ad summum duo, vir, & femina debent esse patrinum.
2. Episcopus nequit in hac parte dispensare.
3. Debet patrinus baptismum immediatè de manu baptizantis suscipere.
4. Insuper debet intentionem habere hoc munus subeundi.
5. Si leues filium Petri, credens esse Ioannis, es verus filij Petri patrinus, esto contra plures sentiant.
6. Non est opus verbus, vel factis in catechismo respondere.
7. Debet esse designatus à parentibus, seu ab illis, qui curam, baptizati gerunt.
8. Hanc designationem esse simpliciter necessariam plures affirmant.
9. Probabilis est oppositum.
10. Fit satis obiectioni ex Tridentino desumpta.
11. Cum plures designantur, neque à Parocho repellantur, omnes sunt patrinum.
12. Requiritur baptismum esse solemnem.
13. Proponuntur obiectiones, & dissoluantur.
14. Debet nomine proprio suscipere, seu tenere.
15. Per seipsum, & non per procuratorem debet suscipere secundum plurimum sententiam.

16. Probabilis est oppositum.
17. Dissoluantur opposita fundamenta.

**E**xplicuimus, quibus officium susceptoris competere possit, superest explicandum, an vnus tantum, vel plures futuri sint, & qualiter se gerere debeant, vt veri patrinum constituantur. Circa primum de numero susceptorum stat decisio. Hyginij c. in catechismo, & Leonis 1. cap. non plures de consecrat. dist. 4. ne plures, quam vnus susceptor sit. Id ipsum confirmauit. Metense concilium sub Stephan. 6. can. 3. dicens: Infantem nequaquam duo, vel plures, sed vnus à fonte baptismatis suscipiat, quia in huiusmodi secta Diabolo datur locus, & tanti ministerij reuerentia vilescit. Nam vnus Deus, vnum baptismum, vnus qui à fonte suscipit debet esse pater, vel mater infantis. Postea successu temporis plures adhibiti fuerunt, vt colligitur ex cap. quamuis de cognat. spirituali in 6. sed concilium Moguntinum sub Paulo 3. & nouissime Trident. sess. 24. c. 2. iuxta pristina instituta statuerunt, vt vnus tantum siue vir, siue femina designetur, & ad summum duo, vir & femina, qui baptizatum de baptismum suscipiant, præcipiturque Parocho sub pœna ab ordinario infligenda, ne ad confendum baptismum accedat, quin prius diligenter seiscitetur ab iis, ad quos spectat, patrinorum designatio (qui sunt parentes baptizandi) vel Parocho in eorum defectu, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant, & cum, vel eos tantum ad suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excusari valeant. Quod si alij vltra designatos baptismum tetigerint, cognationem spirituales nullo pacto contrahunt. Ex quibus verbis manifestè constat nec posse parentes plures feminas, aut plures viros in patrinum designare, nec Parochum eos admittere, sed necessariò designandus est, & admittendus vnus tantum vir, aut femina, vel ad summum duo, vir, & femina. Quod si secus actum fuerit, credo graue esse peccatum, eo quod saltem sub opinione multiplicentur cognationes spirituales, & matrimonij impedimenta, & susceptorum incertitudo, quæ summo perè concilium vitare intendit. Neque obstat iure antiquo spectato solum culpam venialem esse plures patrinum admittere, vt pluribus firmat Sanch. lib. 7. de matr. disp. 57. n. 1. vt inde inferas Trident. renouans supradictam prohibitionem solum culpam venialem inducere. Nam illam prohibitionem renouat grauiori præcepto, vt satis colligitur ex eo quod Parocho admittentem plures puniendum Ordinario subiciat, quod ob leuem culpam non præcipere. Et ita esse peccatum mortale sustinet vt probabilis. Egid. de Coninch. q. 67. ar. 7. in fine. Barbosa plures referens. 2. p. de poss. Episc. alleg. 30. n. 44. Basil. Ponce de matr. lib. 7. cap. 39. n. 12. tametsi contrarium censet Sanch. lib. 7. de matr. disp. 57. n. 7. cum Ludou. Lopez 2. p. instr. cap. 51. col. 4.

2. Episcopus autem nequit dispensare aduersus dictam constitutionem. Nam esto in Conciliari, & Pontificia lege aliquando dispensare possit; id tamen est urgente necessitate, & quando ad ipsum Pontificem non patet aditus. At nulla excogitari potest necessitas, imo nec conuentientia, vt plures feminæ, vel plures viri designentur, cum potius expediat vnicum tantum esse patrinum. Ergo nullus est casus, in quo Episcopus aduersus dictum Trident. decretum dispensare possit. Et ita docet Sanch. lib. 7. de matr. disp. 57. n. 7. Rebel. de obligat. instit. 2. p. in append. ad lib. 4. n. 89. Barbosa aliis relatis. 2. p. de poss. Episc. alleg. 30. n. 41.

3. Quoad secundum qualiter se gerere debeat patrinus, vt verè, & propriè talis sit, spiritualesque cognationem contrahat? decidendum est ex pluribus textibus 30. q. 1. 3. & 4. & cap. veniens de cognat. spirituali, & cap. fin. eodem tit. in 6. & specialiter ex Trident. sess. 24. c. 2. de reformat. Ex quibus constat non sufficere assistentiam, sed necessarium esse, vt patrinus de manu baptizantis baptismum, & vestibus indutum immediatè suscipiat, vel illum teneat, cum baptizatur, quia textus hoc munus declarantes, & cognationem spirituales statuentes iis verbis vtuntur, tenet, suscipit, leuat, tangit. Quas actiones optimè exercere potest patrinus circa baptismum vestibus indutum, vt pluribus firmat Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 56. n. 6. Basil. Ponce, lib. 7. de matrim. impediment. c. 39. n. 9. Dixi debere immediatè tangere, seu tenere baptismum, cum baptizatur, vel de manu baptizantis immediatè suscipere. Vnde si de manu alterius leuans suscipit, patrinus non est, nec cognationem spirituales contrahit, quia non leuat de sacro fonte, sed leuatum ab alio suscipit, sic testatur, & decisum referunt pro Episcopatu Abulenù à sacra Congregatione Sanch. lib. 7. de matr. disp. 56. n. 3. Basil. Ponce, lib. 7. de matr. c. 39. n. 9.

4. Secundo debet esse hæc extensio, seu susceptio formalis, id est animo, & intentione obeundi hoc munus susceptoris ab Ecclesiâ præscriptum. Quare si solum gratia commoditatis, ne baptizatus humi sit, vel vt patrinum lenem

inuenit

iuuet, vel ob aliam causam baptizatum sustineat, patrinus non est, nec cognationem contrahit, vt aliis relatis probat Sanch. *disp. 38. num. 4. c. 5. Basl. Ponce dicto c. 39. n. 9.* Dictam tamen cognationem nullatenus impedire poterit patrinus, ex eo quod noluerit eam contrahere, si tamen intentionem habeat patrinum munus exercendi, quia hæc cognatio officio patrinum annexa est iure Ecclesiastico, cuius efficaciam patrinus impedire non potest, vt pluries sumat Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 58. num. 4.*

5. Solum est dubium, an si per errorem leues filium Petri, cum tamen sit filius Ioannis, sis verus Patrinus filij Ioannis, & cum ipso contrahas spiritualem cognationem? Negat Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 58. n. 7.* cum Abbate, Alexand. de Nero *cap. 2. de cognat. spirit. & aliis*, ducitur ex dicto *cap. 2. vbi* dicitur coniugem, quæ per ignorantiam leuauit filium mariti non acceri à debiti petitione. Ergo error impedit cognationem spirituales, & consequenter munus patrinum. Neque obstat baptizantem per errorem filium Pauli, qui erat Ioannis filius, verum baptismum conficere, veramque cognationem spirituales contrahere cum filio Ioannis, eiusque patre, quia ministrans baptismum obligatus est intentionem habere conferendi Sacramentum præsentem, quicumque sit, ad quam tamen intentionem habendam non videtur obligatus patrinus, cum eligatur ad personam determinatam, pro qua docenda obligacionem suscipit. Nihilominus verius censo supradictum errorem non impedire officium patrinum, neque cognationem spirituales ex eo consequentem. Sic docent plures relati à Sanch. *lib. 7. de matr. dicta disp. 58. n. 6.* Basl. Ponce *lib. 7. de matr. cap. 39. n. 9.* Moueatur, quia leuans filium de sacro fonte videtur obligatus intentionem habere leuandi præsentem quicumque sit, sicuti obligatur baptizans baptizare præsentem quicumque sit, Ne baptismum illa sacra, & solemnitas caremonia deficiat. Quod vero mulier per errorem leuans mariti filium non impediatur à debiti petitione non probat verum susceptoris officium non gessisse, sed solum probat ex iuris dispositione impedimentum petendi debiti illi sublatum esse, & merito, quia hoc impedimentum cum adueniat matrimonio contracto, non decebat contrahi absque culpa. Quæ ratio nullatenus procedit in leuante per errorem filium Petri, qui est Ioannis. Vnde & verus patrinus est, veramque cognationem spirituales impediens matrimonium contrahit. Adde exceptionem *dicti cap. 2.* firmare regulam in casibus aliis non exceptis.

6. Tertio requirunt plures, quorum meminit Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 56. à num. 7.* præter dictam intentionem seu susceptionem, vt patrinus verbis, vel saltem signis pro baptizato in catechismo respondeat, eo quod videatur ad hoc munus assumi. Sed contrarium omnino tenendum est cum eodem Sanch. *dicta disp. 56. n. 10.* quia textus cognationem spirituales inducentes solius intentionis, vel susceptionis meminere. Adde responsum illam pro paruulo non ad baptismum, sed ad catechismo pertinere, baptismum enim sine vlla interrogatione, vel responione conficitur. Quocirca cum pro catechismo, & baptismo idem patrinus est (quod non erat necessarium) ex solo baptismo impedimentum cognationis oritur, non ex catechismo.

7. Quarto requiritur, vt patrinus designatus sit à parentibus, seu ab illis, qui curam baptizari gerunt. Quod si illi non designauerint, designetur ab eo, qui Sacramentum ministrat, quia ipsi incumbit, ne baptismus absque solemnitate ab Ecclesia præscripta celebretur, ac proinde absque patrinis.

8. Sed an huiusmodi designatio ita sit necessaria vt ea deficiente leuans baptizatum de sacro fonte verus patrinus non sit, nec cognationem spirituales contrahat? non constat inter doctores. Afirmant Gallego, Vega, Eman. Sayro, & alij, quos referunt, & sequuntur Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 57. n. 12.* Guttieri *lib. de matr. cap. 100. num. 7.* Mouentur quia Trident. *sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim.* impedimentum cognationis spirituales, & consequenter munus patrinum suscipit ab omnibus illis, qui designati non fuerint, vt colligitur ex illis verbis: Quod si alij præter designatos teneant, aut suscipiant, non contrahunt cognationem. Deinde sic cum nullus est designatus, & plures simul concurrerent ad leuandum baptizatum de sacro fonte, omnes essent patrinus, cognationemque spirituales contraherent, quia nulla est maior ratio de vno, quam de alio. Hoc autem aduersatur fini, & intentioni Tridentini volentis restringere impedimentum cognationis spirituales iure antiquo inductum. Ergo credendum est designationem necessariam esse. Addit vero Suar. *q. 67. art. 8.* non quamlibet designationem sufficientem esse, sed necessariò requiri designationem. Trident. conformem, scilicet vnus tantum viri, vel femina, vel ad summum duorum viri, & femina. Vnde si plures viri, vel plures feminae in patrinus designentur, sicque à Parocho admittantur, existimat neminem illorum esse patrinum, veramque cognationem spirituales contrahere, quia non sunt designati,

qualiter Trident. statuit. Trident. namque exclusit à patrinum munere, cognationisque impedimento omnes illos, qui baptizatum vltra designato tetigerint, vltra designatos inquam legitime.

9. Nihilominus probabilius existimo designationem parentum, seu tutorum baptizari necessariam non esse, vt verus patrinus sis, veramque cognationem spirituales contrahas. Et imprimis necessaria non est, quando vnus tantum assumitur, qui tamen à parentibus baptizari designatus non sit. Contingere enim potest parentes baptizandi Petrum in patrinum designare, Parochum vero eo illegitimè repulso te in patrinum admittere, tunc eo casu verus patrinus es, veramque cognationem spirituales contrahas, vt rectè docuit Ludouic. Vega. *2. p. casuum conscient. casu 4. vers. alterum.* Henric. *lib. 12. de matr. cap. 11. n. 3.* Quia nullus est textus eam susceptionem irritam reddens; neque credendum est Ecclesiam velle eo casu baptismum sine fideiussore celebrari. Deinde si nullus est à parentibus, vel Parocho designatus, vel ex malitia, vel ex ignorantia, tu vero munus susceptoris obeas, quis negare poterit te verum esse patrinum, siquidem intentioni Ecclesie te conformas. Neque præsumi potest voluisse Concilium baptismum solemniter celebrari sine patrinis. Ob quam causam existimo cum nullus est à parentibus designatus, & plures simul baptizatum suscipiunt omnes patrinus esse, veramque cognationem spirituales contrahere: quia ex duobus malis minus est eligendum. Etenim cum eo casu vnus de duobus debeat contingere, vel baptismum solemnem celebratum esse absque patrinis, vel omnes suscipientes patrinus esse, fatendum est Ecclesiam velle hoc secundum, ne baptismus solemniter contra consuetudinem à tempore Apostolorum probatam de patrinis adhibendo celebretur, præcipue cum hæc intentio conformis sit antiquis sacrorum canonum institutis. *Cap. non plures de consecrat. dist. 4. c. 6. fin. de cognat. spirituales in 6.* à quorum decisione recedendum non est, nisi nouis statutis derogatum sit. *Leg. præcipimus. Cod. de appellat. tit. 1.* Sed nouo Trident. decreto derogatum non est quoad hanc partem textus in *cap. fin. de cognat. spirituales*, siquidem Concilium solum à patrinis munere, cognationisque spirituales impedimento exclusit eos, qui vltra designatos baptizatum tetigerint, supponens manifestè designatos tangere, & veram cognationem spirituales contrahere. De illis verò, qui baptizatum tangerent nullis designatis tangentibus Concilium nihil expressit. Ergo de illis iudicium est ferendum iuxta antiquorum canonum instituta, ac proinde affirmandum veros patrinus esse, veramque spirituales cognationem contrahere. Et ita sustinent Nauarr. *sum. cap. 22. n. 39.* Iacob. de Grassis. *1. p. lib. 2. c. 85. n. 4.* Henric. *lib. 2. c. 11. num. 3.* Egid. de Coninch. *de Sacram. c. 2. disp. 32. n. 37.* Rebello *de obligat. instr. 2. p. lib. 3. q. 6. n. 5. c. in append. ad lib. 4. num. 95.* Basl. Ponce. *lib. 7. de matr. c. 39. num. 11.* Paul. Laymann. *lib. 5. tract. 2. c. 9. n. 4.* Barbolæ. *2. p. de possess. Episc. alleg. 30. n. 11.* plures referens, testaturque ipse cum Rebello, Basilio, & aliis sic à sacra Congregatione decessum esse.

10. Neque obstat voluisse Trident. impedimentum cognationis spirituales restringere, vt inde inferas, cum plures nullis designatis simul concurrunt, non contrahere cognationis impedimentum. Quia in hac parte nullam huius impedimenti restrictionem irritatam fecit, sed tantum prohibitiuam, prohibendo, ne plures, quam vnus, vel ad summum duo viri, & femina designentur, restrictionem vero irritatam fecit quoad eos tantum, qui non designati baptizatum tetigerint, designatis tangentibus. Insuperque ipsum impedimentum restringit, ne vltra patrinum cum baptizato, eiusque patre, & matre, & vltra baptizantem, & baptizatum, eiusque patrem, & matrem, procederet omnibus inter alias personas huius spirituales cognationis impedimentis omnino sublati.

11. Ex quibus manifestè constat aduersus Suar. *dicta q. 67. art. 8.* cum plures viri, vel femina à parentibus in patrinus designantur, nec à Parocho repelluntur omnes esse patrinus, cognationisque impedimentum contrahere, si simul baptizatum de sacro fonte leuent. Quia Trident. à munere patrinum, & cognationis impedimento solum exclusit eos, qui vltra designatos tetigerint, neque addidit (cum facile posset) vltra legitime designatos, imo esto sic intelligendum esset, non inde inferat plures illegitimè designatos nullis legitime designatis tangentibus exclusos esse. Non enim sunt exclusi, nisi casu quo vltra legitime designatos tangentibus, ipsi illegitimè designati tangerent. Sic docent Nauarr. *sum. cap. 22. n. 39.* Sanch. plures referens *lib. 7. de matr. disp. 57. n. 13. c. 14.* Egid. de Coninch. *disp. 32. n. 37.* Basl. *lib. 7. cap. 39. n. 12.* Rebello *de obligat. instr. lib. 3. q. 6. num. 6. c. in append. ad lib. 4. sect. 4. num. 96.* adducitque sacre Congregationis decisionem. Notanter dixi plures esse patrinus, contrahereque cognationis impedimentum, si simul concurrant ad leuandum puerum de sacro fonte: Nam si successiue vnus post alium suscipiat, credo probabilius secundum eiusdem sexus patrinum

partinum non esse, nec cognationem spirituales contrahere, quia munus patris ab Ecclesia pro baptismo solemniter præscriptum prioris susceptione completum est. Vnde posterioris susceptio ad patris munus illegitima est, quippe est ab Ecclesia repulsa. Sic Suar. q. 67. art. 8. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 57. n. 14.

12. Quinto requiritur baptismum esse solemnem, aliis verus partinus non es, nec cognationem spirituales contrahis, quia hæc patris designatio cæremonia est ab Ecclesia instituta non pro quocumque baptismo, sed pro solemniter, ut eius solemnitatem iuret, sicut colligitur tum ex usu Ecclesie nullum partinum in privato baptismo exposulante. Tum ex Trident. sess. 24. cap. 2. de reformat. præcipiente Parocho, ut diligenter antequam ad baptizandum accedat inquirat ab his ad quos spectat, quem, vel quos elegerit, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & cum, vel eos tantum ad suscipiendum admittat: & in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contrahant. Quæ in baptismo privato qui sæpe à laicis, & à fœminis ministratur, non contingunt. Ergo munus patris, & impedimentum ex eo proveniens solum in baptismo solemniter locum habet. Atque ita docent Sorus in 4. disp. 42. q. 1. art. 2. Sanch. aliis relatis disp. 62. n. 14. Galpar Hurtado, disp. 18. de matr. difficult. 6. Quod verum est, ut bene dicit Sanch. & Hurtado, tametsi susceptor in baptismo privato vellet munus patris exercere, quia adhuc non exercebit illud, qualiter ab Ecclesia præscribitur ad cognationem spirituales contrahendam. Non enim in susceptoris voluntate constitutum est extra baptismum solemnem solemniter suscipere baptizantem, quia id est impossibile. At munus patris, ex quo obligatio docendi filium baptizatum, & impedimentum cognationis oritur, susceptioni solemniter, non privata, id est non in privato baptismo, sed solemniter factæ nititur.

13. Sed obicit iura statuentia impedimentum cognationis spirituales æque de baptismo solemniter, ac privato loquuntur, ut constat ex cap. 1. & fin. de cognat. spirit. in 6. Etenim baptizatus privatim æque indiget instructore, ac baptizatus solemniter. Deinde baptizans privatim cognationem spirituales contrahit cum baptizato, eiusque patre, & matre. Ergo similiter contrahere poterit susceptor in eo baptismo. Ob has rationes hanc sententiam defendunt Nauar. sum. cap. 22. nu. 40. Egid. de Coninch. disp. 32. de matr. n. 59. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 40. n. 5. Sed hæc non videntur, ut recedamus à eodem sententia. Nam esto iura æque de baptizante, ac de suscipiente loquantur quoad impedimentum cognationis, intelligi debent, singula singulis tribuendo, de baptizante, quoties fuerit baptismus, quia baptismus solemniter & privatim formaliter, & in seipsis non differunt, sed in cæremoniis extrinsecis, & accidentalibus, ideoque baptizans siue baptizet solemniter, siue privatim cognationem spirituales contrahit. At susceptor solemniter, & privatim formaliter differunt, quia esse susceptorem habetur ex Ecclesie institutione, quæ de susceptore privato vix unquam contingente mentionem fecit, sed solum de susceptore solemniter, seu pro baptismo solemniter factæ.

14. Sexto requiritur, ut susceptor nomine proprio munus susceptoris obeat. Quocirca si nomine alieno baptizatum leuaret de sacro fonte, nequaquam partinus esset, qualiter ab Ecclesia præscribitur. Tum quia caret animo, & voluntate se in partinum constituendi, qui animus & voluntas ad hoc munus suscipiendum omnino necessarius est. Tum quia non vult ex illo munere obligationem subire baptizatum instituendi, sed omnem eam obligationem in designantem refundere intendit. Tum quia ipse non est in partinum designatus, sed qui eum in procuratorem constituit. Neque obstat baptizantem ex licentia, & commissione alterius cognationem spirituales contrahere, quia hic verè baptizatur nomine proprio tantquam verus Christi minister iurisdictione ab alio accepta. Sic pluribus firmat Sanch. aduersus Toler. Ludouic. Lopez, Man Petrum de Ledesma, & alios. lib. 7. de matr. disp. 59. nu. 12. Egid. de matr. disp. 32. n. 4. Basil. Ponce, lib. 7. de matr. cap. 39. num. 10. Galpar Hurtado disp. 18. de matr. difficult. 5. n. 18. Barbosa de potest. Episc. 2. p. alleg. 30. n. 50.

15. Septimo plures doctores requirunt, ut per se ipsam baptizatum leuet de sacro fonte. Vnde si medio procuratore hanc exerceat actionem affirmant verum partinum non esse. Momentum, quia textus de hoc munere loquentes actionem denotant personalem, qualis est tangere, suscipere, tenere ut colligitur expressè ex cap. de his. 30. q. 1. ibi de his, qui filios suos ad confirmationem coram Episcopo tenent, id est qui filios uxoris suæ, dum christianantur, super se sustinent. Et ex cap. ad limina eadem causa, & quest. ibi propriis manibus retinendo suscepit. Secundo quia cognatio naturalis non consurgit absque personali parentum actione. Ergo neque cognatio spirituales consurgere debet absque personali actione spirituales parentum, siquidem cognatio spirituales, & carnalis æquantur in c. de his. de baptismo. Tertio cognatio legalis contrahi non potest adoptando per procuratorem Leg.

post mortem. 25. §. neque adoptare ff. De adoptionibus. Sed spiritualis cognatio legalem imitatur. Ergo, Quarto impedimenta matrimonij inducenda non sunt absque expresso textu, & ratione. At nullus est textus significans cognationem spirituales matrimonium impediendum contrahi posse per procuratorem, imo contrarium relati textus significant. Ergo contrahi non potest. Quinto constitutus procuratorem, ut nomine ipsius baptizet, nullatenus spirituales cognationem contrahit, ergo neque constitutus procuratorem ad suscipiendum, cum eadem in utroque casu videatur esse ratio. Et ideo hanc sententiam sustinent Couarrub. 4. decret. 1. p. cap. 6. §. 4. n. 6. Henric. lib. 12. de matr. cap. 11. n. 71. & alij innumeri, quos refert, & sequitur Thom. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 59. n. 4.

16. Nilominus verius censo medio procuratore te partinum esse, veramque cognationem spirituales matrimonium impediendum contrahere posse. Sic docent plures relati à Sanch. dicta. disp. 59. n. 2. Basil. Ponce, lib. 7. de matr. c. 39. n. 10. Egid. de Coninch. disp. 32. de matr. n. 4. Rebells. 2. p. lib. 3. de obligat. iustit. q. 6. & in append. ad lib. 4. num. 95. & 96. Barbosa. 2. p. de potest. Episc. alleg. 30. n. 50. & alij apud ipsos. Mouet præcipue autoritate sacre Congregationis sæpe decidentis hanc partem, teste Nauar. lib. 5. concil. in fine. 2. edit. Rebello. n. 95. Franc. Leone in thesaur. fori Ecclesiast. 2. p. cap. 9. num. 63. & aliis. Item autoritate sacre Rote sic censentis, sicuti referunt Aloy. Riccius in praxi fori Ecclesiast. resolut. 630. in 2. edit. Verat. decis. 147. pun. 3. Galet. in Margavita casum conscientia verbo cognatio. At credendum non est sacram Congregationem & Romanam Rotam in re tam graui errare, & impedimenta constituere, ubi nullum est impedimentum. Ergo asserendum est medio procuratore & officium patris, & impedimentum cognationis contrahi posse. Ratio autem qua sacra Rota, & Romana Congregatio moueri poterint hæc videtur esse. Quia iure firmatum est quemlibet medio procuratore præstare posse, quæ potest per se ipsum, cum alias prohibitus non est. leg. 1. §. Rursus fidei Procuratoribus. & reg. qui potest. de Regal. iuris in 6. At nullibi est prohibitum signare procuratorem ad patris munus exercendum, ut constabit diffundendo fundamenta oppositæ sententiæ. Ergo. Deinde moueri poterunt ex usu, & consuetudine signandi procuratorem ad munus hoc exercendum, præcipue in baptismo principum, ut aliis relatis testatur Sanch. lib. 7. dicta disp. 59. n. 6. Qui usus sustinendus non esset, si medio procuratore partinus esse non posset. Quia esset usus celebrandi baptismum sine patris. Qui usus nullatenus est ab Ecclesia permissus, sed potius contrarius usus præceptus.

17. Neque fundamenta oppositæ sententiæ videntur. Ad primum nego tangere, tenere, suscipere, leuare, necessario personalem actionem indicare, esto id frequenter contingat. Et ad probationem respondeo, textum in cap. de his. & cap. ad limina exprimeret quid factum fuerit, non tamen legem ferre, aliter fieri non posse. Ad 2. concedo cognationem naturalem contrahi actione personali parentis, & non aliter, quia fundatur in physica, & naturali generatione, quæ alteri non potest committi. At tentio, & susceptio baptizati, actiones sunt, quæ alteri committi possunt, & medio commissario præstari, ut etiam ipsemet Sanch. fatetur. Vnde mirum non est cognationem naturalem indigere necessario personali actione parentum, secus vero cognationem spirituales. Neque textus in cap. de his. de baptismo his contrarius est. Solum enim æquat generationem spirituales naturalem in distinctione generantis, & geniti, probatque neminem seipsum spiritualiter generare posse, sicuti non potest carnaliter. Ad 3. concedo neminem adoptare posse per procuratorem, quia sic legibus statutum est: ac statutum est susceptorem baptismi medio procuratore constitui non posse. Ergo ex cognatione legali ad spirituales argumentum in hac parte fieri non potest. Neque obstat cognationem spirituales imitari legalem, quia non imitari in omnibus, aliis non posset esse cognatio spirituales nisi suscipiens longe maior esset, quam susceptus, sicuti non est cognatio legalis, nisi adoptans maior sit adoptato, ita ut illum generare possit. §. minorem natu. in fir. de adoptionibus. Ad 4. concedo impedimenta matrimonium impediendum constitui non posse absque manifesto textu & ratione, nego tamen nullum esse textum quo probetur impedimentum cognationis spirituales per procuratorem contrahi posse. Nam eo ipso, quo susceptio baptizati non prohibetur per procuratorem fieri, decilum est impedimentum annexum susceptioni contrahi medio procuratore posse. ex reg. qui potest. de Reg. iuris in 6. Ad 5. admitto constitutum procuratorem, ut nomine suo baptizet, non ipsum, sed baptizantem, contrahere cognationem, quia in baptismo constituitur procurator non potest. Nequit enim nomine alterius à Christo concedi.